Szalewicz Ambrosius: Clypeus animatus D. Thomas Aquinas Doctor angelicus.

C
A
D,
A

Contr
fc

Ecclesia
Freq

M. A
Philos

Ann

In Offic

CLYPEVS ANIMATVS D. THOMAS AQVINAS Doctor Angelicus.

QVEM

Contra Hostes humani generis, Ignorantiam ſcilicet & vitium, inexpugnabilem Deprehendit,

ET

Anniuerſaria Die illius

IN

Eccleſia Sanctiſsimæ TRINITATIS Ordinis PP. Prædic. Frequentiſsimo Magnorum Virorum concurſui Panegyricè Delineauit.


M. AMBROSIVS SZALEWIC,
Philoſophiæ Doctor, Senior Scholæ B. M. Virginis, in Circulo Cracouienſi.

Anno Dñi. M. DC LX IX Die VII. Menſis Martij.

Permiſſu Superiorum.

In Officina SCHEDELIANA S. R. M. Typograph.

IN GENTILITIVM STEMMA
Perillustris & Admodum Rñdi. Dñi.



Infestis quoties campo concurritur armis
Vexillum effertur, conciniturq́; tubâ.
Dum clangore Tubæ SLOVVIKOVVSKI *personat Orbem.*
Gloria quanta Crucis! gloria quanta Dei!
Ergo lupi fugitote, Cracus sat promptus in Arma:
Nam TVBA *cum* CRVCE *nunc, eius ouile tenet.*

JACOBVS ZARZECKI, Studiosus
Scholæ Rethorices.

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. NICOLAO SŁOWIKOWSKI,

S. T. & I. V. DOCTORI, CANONICO ET ARCHIPRESBYTERO, INFVLATO CRACOVIENSI, PRÆPOSITO KIELCENSI,

Protonotario Apostolico.

Domino & Patrono obseruandissimo.

QVem nuper D. Angelico Doctori, ad felicem illius ex hac vita transmigrationis commemorationem, vocali suadæ industriâ erexi Clypeum; eum nunc in paginam deduco, tibiq; offero Perillustris & Aamodum Reuerende Domine. Et quamuis palam mihi innotescat, infra dignitatem tuam munus hoc esse, minusq; quàm vt in tanti Viri, cui de meliore luto finxit præcordia Titan, prodeat conspectum; tamen vel ideo illud Tuo præsentare conspectui constitui, vt splendorem à præclaro Nomine Tuo auspicetur. Est enim hoc illustribus Clarissimorum Virorum proprium splendoribus, vt vilia etiam suæ applicata luci, ingenita sibi collustrent claritate. Id vt ego cum opella mea experiar, nonne Gentilitia Tua Tuba ad id me animat, quæ tàm sonora est, vt non solùm vastum hunc Poloniarum Orbem, clangore Nominis SŁOWIKOWIANI *repleat; sed etiam per florentissimas Italiæ diuagetur Regiones. Testantur hoc maiores Tui vitâ integerrimi, pietate, eruditione, humanitate, dignitate, semper conspicui, quorum singulorum explicare virtutes, & oratione recensere facta, chartæ istius angustiæ non permittunt. Sufficiet pro millibus vnum, singulare decus & ornamentum ad præclari generis Tui commendationem, Ecclesiæ lumen, exemplar Cleri viuum Sapientiæ oraculum, Perillustris olim Patruus Tuus* IVSTVS SŁOVVIKOVVSKI, *S. T. & I. V. D. Canonicus & Archipresbyter Cracouiensis, Vir omni æuo me-*

morandus, cuius in pectore doctrina, Sapientia, pietas, religio, humanitas, perpetuum ſibi fixerunt domicilium, quibus inſtructus, tanquam lucidiſsimus Sol Vrbis huius Hemiſphærium illuſtrabat; adeo vt has ipſius eximias animi dotes nulla labentium ſæculorum obliuio delere poſsit. Quid verò de pietate in Deum, de liberalitate in egenos loquar? quas ille virtutes maximopere coluit. Teſtis eſt hæc ipſa Archipresbyteralis Eccleſia, quàm ille tot pretioſis apparamentis cultui Diuino inſeruientibus adornauit, tot pijs fundationibus cumulauit. Teſtis hæcce Cleri multitudo, quam reditibus deſtitutam, prouentibus auxit, dotauit, cumulauit. Teſtis & latè patens Italiæ ora, in qua ad promouenda in vlteriori Sapientiæ gradu ingenia, pro inclyti huius Iagiellonici Lycæi Profeſſoribus compatriotis ſuis certum conſtituit prouentum. Felicem terq; quaterq; beatum Te quis non dicat? Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine, dum ex eadem proſapia, non ſanguinem modò genium, & ſpiritum, verùm etiam auitas Maiorum Tuorum virtutes, quaſi hæreditario iure hauſiſti, traxiſti, poſſediſti. Quis non videat in te horum omnium complementum, quibus mirifice excellis. Si conſideremus animi Tui candorem, omni ſimulationis fuco deſtitutus es: ſi magnanimitatem, nullis fortunæ telis ſuccumbere noſti: ſi naturæ lenitatem, affectu prono omnium tibi animos deuinxiſti: ſi pietatem in Deum Sanctosq;, zelans pro Domo Dei exercituum alter Elias es. Et certè dum præclaris virtutibus excellis, Doctrina quoq; & eruditio celeberrimum Te reddiderunt, quas cum abundè poſsideas, non ſatis putas, illis priuatim, eminere niſi prudenter eas ad ouium Tuæ curæ commiſſarum gubernationem deuoueas. His itaq; virtutum tuarum & doctrinæ ſplendoribus allectus, & officio meo compulſus, in conſpectum Tuum prodeo, Clypeumq; meum, in ſignum debitæ obſeruantiæ offero & dedico: apprecans vt DEVS Præpotens V. P. & A. R. D. Neſtoreorum annorum curſum cum felici rerum ſucceſſu donet ac tribuat. Suſcipe Perilluſtris & A. R. D. hilari fronte pro innato tibi candore & humanitate hoc grati animi Symbolon, meq; clientem Tuum ſolito fauore & beneuolentiâ proſequi non dedigneris.

Veſtræ Perilluſtris & Admodum Rñdæ Dñis.

Cliens æternum deuotus,

M. AMBROSIVS SZALEVVIC Philoſophiæ DOCTOR, Senior Scholæ B. M. Virg. in Circulo Cracouień.

ORA-

ORATIO.

PLurimum equidem gaudeo, & Vniuerſo literato Orbi, cunctiſq; ad verum Doctrinæ & Sapientiæ per abſtruſos & moleſtos, laborum calles tendentibus apicem gratulor; cum in ſublimi hâc & excelſæ Doctoris Angelici deſtinata Panegyri conſtitutus exedra, pulcherrimum hoc phænomenon, ſplendidiſsimum in Angelico Angelici Doctoris pectore intueor ſolem Auditores. Non enim iam ampliùs ad fumantem Cleanthis lucernam, aut ad tenuem Epicteti lichnulum, in exigua, & qualis inter denſas opacæ noctis tenebras identidem emicare conſueuit luce, cum horrendis errorum monſtris, cum terribilibus & pluſquàm Lernæis vitiorum Hydris in certamen prodeundum erit, cum illius Ducis & Anteſignani, fauſtum nobis illuxit Imperium, cui domi lucidi ſoles, domi ſplendida oriuntur ſydera omnes caligines errorum ab animis procul diſcuſſura. Habet quod opponat noſtrum ſæculum pro vindicijs veritatis priſcæ Sophorum Antiquitati, habet quo præ illâ glorietur, quòd cum illa cæco impetu literata inter ſe committeret Capita, & ad exiguum lumen pro ſuis Sententijs in vmbra opinionis proteruis ratiocinationum digladiari cogeret mucronibus, noſtrum ita fulgeat, ita propitijs illuſtretur nitoribus, vt claro viſus ſplendore orbatus ſit eſt neceſſe, qui ad iſtum ſplendidiſsimum Aquinatici pectoris ſolem genuinam veritatis non videat lucem.

Iam ergo nullum ab humentibus noctis tenebris periculum, quæ Liuiano effato omnia ex in certo maiora territis ostentant, nullum à vanis & importunis discrimen terroribus, dum in aperta luce, cum nostris hostibus erit confligendũ. Quodsi verò ad propulsandos veritatis hostes, tam copioso armorum apparatu gauderemus, quàm facilè amicam habemus lucem ô nos verè feciles! ô nos fortunatos. Pugnandum esse semper, & quidem eo militiæ genere, quo nunquam quies, nunquam otium conceditur mortalibus, quis vnquam dubitauerit? Debellandæ imprimis blandæ voluptatum Syrenulæ, quæ rigida quoq; ingenia ad se rapuerunt. Exturbandæ & inimicissimæ habendæ omnes Illecebræ latronum more quos Phyletas Ægyptij vocant. In hoc nos amplectuntur, vt strangulent. Persequenda sine modo, sine fine ignorantia, donec extra terminos generis nostri exterminetur. Nàm illi quoq; nec modus, nec finis est. Duro ac laborioso pede eundum nobis, per obstantes difficultates scientiarum, pugnandum cum latentibus causis, cum abstrusis perplexitatibus, quibus impares, etiam sublimes nobilium Philosophorũ succubuerunt mentes. At vbi vires? vbi robur? vbi arma? Scio naturam indulgentissimam Matrem, quæ cæteris quoq; animantibus vsque in stuporem defensionem prouidit, nec hominem destituere voluisse. Scio dedisse leoni vngues, Aquilæ falculas, Elephanto proboscidem, tauro cornua, apro exertos dentes, erinaceo pungentes aculeos. Scio viperas veneno instruxisse, Crocodilum lorica texisse, serpentes hamato thorace, cancros testis operuisse; nos porrò præclaro rationis condecoràsse munimento, quo in vitiorum & errorum bello vti valeremus, verùm quàm in his ipsis armis miseri, quàm infelices sumus, cùm ijsdem non rectè vtentes, à nostris opprimimur hostibus quis ignorat. Quoties enim præualet ignorantia, succumbit ratio: quoties sumit vires malitia, iugulatur ratio: quoties triumphat scelus, cladem funestam subit ratio, & pernicie cadit miseranda. Quid ergo? nullius ne igitur Herculis inuocabimus

auxili-

auxilium in hæc monſtra? nullis armis inſtrui poterimus contra hos hoſtes? Ad ſidera Aquinatica attollamus oportet oculos, vnde ſolem in ipſius pectore aduertentes, pro inexpugnabili nobis adaptemus ſcuto, quo omnes omnium hoſtium impetus reprimantur. Enimuerò ſi ſolem ſub Centimani Briarei typo depinxit Antiquitas, quòd multis veluti manibus ſublunarem hunc mundum tractet & in ſuo conſeruet vigore. An non & mihi licebit Doctorem. Angelicum ſub ſcuti emblemate vobis repræſentare, cui vniuerſus literatus Orbis, ſuam defenſionem, robur, vigorem, & conſeruationem debet, tranſcribit, & meritò refert in acceptis. Fatendum eſt Sanctiſsime Doctor deberi hoc meritorum tuorum amplitudini, vt auguſtiſsimis quæ humanus inuenire poteſt intellectus honoreris Elogijs, maior es, quàm vt exigui temporis commendatione condecoreris, auguſtior, quàm vt à me balbuciente Oratore celebreris, cæterùm neque hic qui tibi à me pro Eccleſiæ tutela defertur titulus, exiguus eſt cenſendus. Scutum aliquando. Nauarreis Regibus pro throno Regio erat, nam in ſuis Coronationibus ſcuto inſidentes in altum tollebantur, quod indicium erat, ſummum eis ius, ſummam in omnes ſubditos deferri poteſtatem, ac Regale diadema. Patieris ergo & tu, in vectigal debitæ obſeruantiæ, à me hoc ſcutum tibi deferri, & tuo militi fauebis, qui pro ingentibus meritis, omne literatorum genus, omnium laudes tibi obligâſti Vos verò Auditores oro vt me Doctorem Angelicum ſcutum Eccleſiæ demonſtrantem, Veſtræ attentionis ſcuto. contra quoſuis difficultatum impetus munire non recuſetis.

Ac mihi quidem ad ſcuti noſtri exactam properanti delineationem, innumera ſeſe offerunt ſcutorum genera, quæ certatim Doctori Angelico in applauſum prodire geſtiunt. Occurrit imprimis horribille illud Palladis Ancile ſeu Ægiden dixerimus certatim ſquammis ſerpentũ, auroq; politum, connexoſq; angues ipſumq; in pectore Diuæ Gorgona, deiecto vertentem lumina collo; quod licèt

omnium oculos & animos in ſui raperet admirationem, ad horrorem tamen & terrorem tantummodò valebat: quoties enim illud Sapientiæ Dea concutiebat, toties horrido metu eos percellebat, cum quibus acri decertabat prælio. Offert ſe non tam admirandus, quàm potiùs ob Meduſæ vultum in eo exſculptum formidandus Perſei Clypeus; qui verſos in ſe mortalium vultus inſaxi indurabat aſperitatem. Prodit in lucem, non minùs feliciſsimi illius, electi populi in terram promiſsionis lacte & melle fluentem Ductoris, quàm fortiſsimi militis Ioſue parma adinſtar tranſparentis ſpeculi lucida, in qua omniū fallacium hoſtium ſtratagemata & fallaces inſidiæ, ne aliquod illi cui præerat exercitui adferre poſſent detrimentū notabantur. Sed nullum horū in veſtrum nobiliſsimum producere conſpectum eſt animus. Exigua etenim hæc eſſent Diui Doctoris noſtri laudum monumenta. Scutum eſt Doctor Angelicus, quod terret & defendit, quod ſternit & erigit, quod enecat & in nouam vitam animat, quod inſidias detegit, ſed inſidiantes tamen ſaluare mauult quàm perdere, tegere potius eligit, quàm ſternere, niſi fortè ſuo ipſi exitio miſeri eſſe velint. Ergo illud Romanorum cælitùs lapſum Ancile quo Romani Imperij fata tenebantur? Magnum certè, niſi quod Scutum noſtrum totius Orbis fata prouehit ſub vmbone Sapientiæ ſuæ, ad ſecuritatem. Ergo illud Troianorum Palladium, quod quàmdiu in Arce Pergami, in accurata Troianorum remanebat cuſtodia, tamdiu Troia felix, fortunata, nullis ſubiacens aduerſitatibus, & à nullo hoſtium ſuperabilis exiſtebat. Valeret certè & iſtud, niſi quòd Diuus Doctor totius Eccleſiæ Scutum eſt, quo quàmdiu illa defendetur (defendetur autem in infinitas ſæculorum myriades) nullæ cuniculoſæ. Hæreſeos inſidiæ, nulli infeſti Schiſmaticorum inſultus, nulla impugnantium Paganorum tela illius effringent integritatem. Ad extremum fortè illud Græcorum, in quo Neptunum tumidi domitorem æquoris, tricuſpide inſignitum fuſcina: aut Phrygum, in quo Mineruam Oleæ & Sapientiæ ſimul inuentricem: aut Perſarum,

in quo

in quo Lucidissimum mundi Ocellum, & splendentis fulgorem Olympi, mira arte ac egregio opere efformabant. Sed superat certè Diuus Doctor Neptunum, dum coortos graues errorum fluctus in serenam componit malatiam, superat Mineruam, imò totum Heliconem cum nouena Aönij iugi turba, qui felicissimè omne scientiarum genus, vnicus ipse suo ingenio est complexus, superat Solem, cuius clarissima scripta non sepiæ atro liquore, sed radio solari expressa videntur, ita vt cum vniuersa ista, tanquam singula Diuus Doctor noster contineat, ne exigua quidem sui parte, in hisce omnibus symbolis repræsentari potest. Quod ergo Scutum, quem Clypeum, S. Doctorē Angelicū appellabo? Dicam eum Scutum Seruatoris Christi, quo ille Ecclesiam suam mirificè protegit ac tuetur. Dicam eum Clypeum fortium, Clypeum ignitum, quo tanquam inexpugnabili muro Religio protegitur & circumdatur. Dicam eum in compendio Clypeum Dei animatum. Quid miramini Auditores Doctorem Angelicum Clypeum dici animatum? An non & spiritum vitæ fuisse in rotis, & super lapidem septem oculos in Scriptura legistis? An non Deum ipsum Clypeum videntem, à Diuo Hieronymo dici, non minùs ingeniosè quàm verè audiuistis. Est est aliquid in Diuo Thoma non humanum, est aliquid, quod omnem mortalis humanitatis conditionem exuperat, est aliquid quod eum Diuinæ non vulgari ratione propius admouet perfectioni. Agè ergo qualis sit iste Clypeus intimiùs contemplemur. Homerus ille ingeniorum omniū Coryphæus, qui in sua illa cæcitate, pinxit non scripsit omniscium Illiados opus, monumentis literarum mandatū reliquit, Clypeum Achyllis fuisse Diuorum artificio, ita affabrè elaboratum, vt non duro & solido metallo conflatus esse, sed anima viuente constare videretur. Namq; identiden non solùm in eo omnigeni apparebant colores, cælū voluebatur, sidera rutilabant, terra complanabatur, mare intumescebat, sed etiam vrbes insigni & magnifica structæ opulentiā cernebantur: quarum altera pace amabilis, alte-

ra bello aperto formidabilis: ibi segetibus, pratis, vineis & arbustis omnia læta & consita: hìc cuncta rapinis vasta, incendijs torrida, ruinis consepulta, & noui ossium aggeres, decolores sanguine fluuij eminebant. Præclarissimum hoc Homerici ingenij commentum Diuo Doctori Angelico conuenire, eumq; talem fuisse Clypeum, manifestè quis non intelligat? Ac imprimis omnigeni illic radiabant nitores, quos ingens intermediorum colorum numerus, pulcherrima mixtione distinguebat. Quis virtutum nitor, quis piæ & Sanctæ vitæ color, à Diuo Doctore nostro alienus fuit? Carthaginensibus olim placuit niueo colore albentia deferre Scuta. At Diuus Doctor noster, non albedinem tantùm in vita sua vnicè in delicijs habuit, sed ipsa nix, ipsum lilium fuit puritatis. Esto enim clarissimâ Comitum de Aqnino ortus familiâ, à vitæ probitate, & corporis castitate mundanis auocari potuisset blandicijs, firmus tamen & constans in seruando hoc candido castitatis lilio permansit. Aderant qui eum velut parmâ inglorium albâ hoc colore voluerunt spoliare: aderant domestici hostes, qui Angelicæ illius puritati nigram aliquam inurere maculam gestiebant: aderat pernix solicitudo familiarium, quæ in eo omnem suam defixit cogitationem, vt Scutum hoc nostrum rubiginem aliquam contraheret. Immittuntur imprimis in eum blandissimæ voluptates, quæ de proposito Sanctioris militiæ eum deijcerent: proponuntur diuitiæ & potestas, quæ identidem Scuti nostri circumuolantes animum, tersissimum illius nitorem, delicatis integerent alis ne cælestem lucem excipere posset. Ostenditur dignitas & voluptas, quæ admirabili circuitu laborarent, vt bonitatem insitam delicijs; velut fascino quodam interciperent, & cogitationes illius à Numinis contemplatione auocarent. Apparantur exquisitissimæ Illecebræ, quæ Scutum nostrũ torrente quodam immoderatæ abreptum impotentiæ, in ipsum vitiorum præcipitarent fundum. Instruitur feralis mulier, quæ omnibus delicijs & luxu diffluens (sed parcam domesticis Doctoris Angelici laribus, ne Angelicus Iuuenis

nis ipſa commemoratione gentilis probri crutietur) de poſiti petra noſtrum deijceret Scutum. Quid Scutum noſtrum? nihil ad tàm validos meretricios ictus pectore vacillans, nihil ad tot iſtas concuſsiones animo labans, immobile, ac inuictum permanſit; imò vt quondam Aiacis Clypeus mari ſupernatans, feliciter ad portum appulit, & in diù deſiderata ſibi Sancti DOMINICI Religione conquieuit. Reliquit domum. vt alij ambiunt; contempſit nobilitatem, vt alij affectant; comitatûs hæreditates ampliſsimas reiecit, vt alij cupiunt; calcauit voluptates, vt alij quærunt; & ſub rigido S. DOMINICI inſtituto, ſobrietatem elegit pro domicilio, ſapientiam loco prædij, Iuſtitiam, Veritatem, & puritatem pro ſplendidis ædificiorum ornamentis. O generoſum Adoleſcentem! ô egregium Virginitatis & pudicitiæ propugnatorem! ô victorem poſteritatis memoriâ prædicandum! Stupuit ad tantam fortitudinem ipſum cælum, hæsêre attoniti Angelorum Chori, quis ille tam inuictus Athleta, tam animoſus miles, tam ſtrenuus pugil, qui prodigijs defenderet pietatem. Spectauit de proximo TRINITAS Sanctiſsima, & ſuos ad eum miſit feciales, qui eum ex parte Dei cingulo præcingerent caſtitatis. Decuit verò nobiliſsimum Iuuenem balteus iſte triumphalis, qui nunquam flammis arſit voluptatis: debebatur Scuto noſtro illæſum robur, quod nullas admiſit impreſsiones, & impetus libidinis incurrentes. A niueo colore caſtitatis, ad roſeũ patientiæ facilis eſt dictioni meæ deſcenſus. Legimus milites qui primi Carthaginis muros conſcendiſſent, ad denotandum ſingulare eorum robur, & inuictam fortitudinem, in ſcutis ſuis roſas patientiæ Symbola à Scipione celeberrimo totius Africæ domitore præferre iuſſos. In Scuto noſtro Diuo Doctore Angelico, nonne patientiæ ac manſuetudinis, roſei purpureiq; colores noſtris obuerſantur oculis manifeſtè. Liceret vtinam videre nobis rigorem ipſius, quo tenerrimam ſuam carnem affligebat, intueremur certè illum ſæpius innocentiſsimo ſuo ſanguine, ob nimias & frequentes ſui caſtigationes, è corpore profluente purpuratum,

tum,quàm olim Romanos hoſtili ſanguine vulneratos. Videremus riſus, ludibria, contumelias, ab eo Sparthana toleratas generoſitate: cerneremus fugientem ab oculis ſomnum, ab ore cibum, ab alijs membris quietem ſolius amore perfectioris vitæ: ſed quoniam ea omnia vigil ſui obſeruator ſubtraxit oculus, ideò ad contemplandum cæruleum maturitatis colorem noſtros referamus oculos. In Vlyſsis olim Clypeo ſculpſit Antiquitas Delphinum anchoræ alligatum, cui bina adiecit verba: feſtina lentè. O verè in tota vita Doctoris Angelici colorem ſculptum! Nihil erat quod præclaro ingenio ſuo feliciſsimè ſub magno ſuo Præceptore (nisi quòd iàm ille minor quòd hunc maximum erudiuit) non penetraret, & tamen ſuo ipſe iudicio minimũ ſe æſtimabat, vt nunquam cum alijs de ingenij laude contenderet, ob idq; bos mutus paſsim à ſympalæſtritis ſuis vocaretur: ſed nimirum ſciebat Angelicus Iuuenis linguã mentis plectrum eſſe: ſciebat fruſtra ibi ad verba feſtinari, vbi non ſit ad charmonicas Sapientiæ leges mens benè compacta & temperata. Nouerat optimè concham, quia de rore cæli pretioſiſsimos concipit vniones, non ſtatim ſeſe aperire, ſed longo interiecto tempore, roſcido hiatu proferre margaritas; contra canalem quia vilia percipit purgamenta, ſtatim etiam ea infuſa refundere ac procul eijcere, ac proinde feſtinandum ſibi eſſe lentè iudicabat. Diu ſatis nimirùm vox illa formanda fuit, quæ ipſius Præceptoris Magni teſtimonio, totius orbis fines mugitu fuit repletura. Cæruleum maturitatis colorem proximum erat, vt exciperent flammæ inextinctæ in Deum eiuſq; Sanctiſſimam Matrem pietatis. Alcibiadem olim ſcutum ſuum non patrijs accommodatũ ritibus, ſed flammifero exornatũ amore geſtâſse; Cordubenſium Legionem ſub Pompeio ſtipendia merentem in ſuis parmis Imperatoris ſui nomen exſculpſiſſe annalium teſtantur monumenta. At nos quid de noſtro Clypeo dicemus? non minùs ille igneam amoris flammam, Magnum Dei viuentis Nomen, ſuo pectori inſculptum geſtabat. Rapiebatur ſemper vt atomus ad Solem,

lem, vt magnes ad polarem stellam ad suum tendebat Conditorem, ei se probare nitebatur, ab eo humilibus votorũ suspirijs inæstimabile Sapientiæ donum exposcebat, ei omnes suas cogitationes, verba, & opera consecrabat; in illius dulcissimo complexu, adinstar Phænicis in odorifero rogo, in aliud vitæ genus soluebatur. Trahebatur ad intimam dilectionem Beatæ MARIÆ Virginis, Magnæ Magni DEI MATRIS, cuius cum olim pusillo ore tenellus infans salutationem auidè nimis deglutijsset, videbatur totâ vitâ dulcedinem Mariani nominis intendisse. Celebret Antiquitas Platonem, quòd in illius infantis labellis mellificâssent apes: deprædicet Stesichorum, quòd in eius ore luscinia cecinisset: laudet Midam quòd formicæ grana tritici in os illius dormientis ingessissent. Cuncta tamen hæc Scuti nostri cedunt Panegyri, cum formicis auibusq; ingeniosior, melle cantuq; suauior, granis tritici vtilior, non ore tenus primoribusq; labris, sed in imò Diui Doctoris pectore, salutationis Angelicæ Cælestis hospes schedula resederit, quæ tantum in eo pietatis ac deuotionis excitauit zelum, vt velut flamma in noua summæ pietatis incendia sese dilataret. Quanquam cùm ego multiplices Scuti nostri colores, vestris repræsento oculis, vrgeor infinitæ illius Sapientiæ claritate, cuius inexhausta pressus amplitudine, rationem sermonis distinguendi vix reperio. In Clypeo illo Homerico rutilabat vt dixi Cælum, complanabatur terra, intumescebat mare, omnia elementa liquido puroq; colore oculis sese offerebant. Diuus Doctor noster quid non felicissimo suo complexus est ingenio? Non cælum tantùm, sed ipsum cæli Conditorem felicissimè posteris declarauit, quasi in ipsum mens, studium, ingenium, Pauli aut Aug. mira metempsichosi transijsset. Non sidera tantùm sed admirabilem Diuinæ Sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, omnipotentiæ, magnitudinem labenti sæculorum æternitati accuratè descripsit, quasi non iam cum Prometheo, ad solis radios de proximo spectandos, sed cum Moyse, ad illam luce sua inuolutam, immensitate infinitam,

Maiestatem clarißimè videndam accesſiſſet. Non terram tantùm, ſed quidquid in terra & ſupra terram occultum latet, quidquid coruſcat in fulgura, ſoluitur in aquas, riget in grandinem, cæruleo nubes colore pingit, quidquid in tot impreſsionum facibus ardet, ligat argentea glacie fluctus, terram innumeris diſtinguit floribus, quidquid in vité racemos, in palma dactylos creat, quidquid, in abditis conchæ venis Margaritas gignit, quò fluunt maria, quo aeris nubila deterguntur, quomodo ad gratas temporis vices hic dies, illic nox inducatur, quo ſtent Elementa, venti ſpirent, creſcant arbores, ſentiant animantes, ſolertiſsimè eſt ſcrutatus, acerrimè contemplatus, & facillimè omnibus reuelauit. In Clypeo Homerico bella & horribilia tormentorũ fulgetra aciem humanam perſtingentia, triſteſq; contumacium populorum (qui in eam cædium ſeſe profuderant fertilitatem, vt communia faſtidientes fata, mori recuſarent perimi gauderent.) ruinæ & vaſta ſolitudo hoſtibus fugatis ingerebatur. In Sanctiſsimo Doctore noſtro quot verba, quot articuli, tot fulmina ſunt, quibus iurata Hæreſeos contumacia ſternitur debellatur. Catena eius aurea quid niſi compedes ſunt, quibus temeritas humani intellectûs captiuatur. Libri Contra gentes, quid niſi armamentarium, ex quo omnis depromitur armatura ad hoſtes fidei ſuperandos. Summa Theologica inexpugnabilis Turris eſt, ex qua mille dependent Clypei, quibus proteguntur boni, obſtinati oppugnantur. Quotlibeticæ Quæſtiones lectiſsimæ Sagittæ, quæ nunquam abeunt retrorſum, quin aliquem in erroribus humanis gloriosè conficiant. Epinicia Cantica ſuauiſsima tela ſunt amoris, tela charitatis, quibus fauciatur animus & vulneratur, mortiq; omni vita dulciori etiam in hac corporis ſtatione componitur gloriosè. Sentiunt bellatorem hunc Clypeum Hæretici, & ingemiſcunt, hocq; Scutum Eccleſiæ, omni aſtutiores Vlyſſe eripi optant, cùm Bucero clamantes: tolle, tolle Thomam, & diſsipabo Eccleſiam, facilius cætera arma, ſi hoc vnicum extorſerint ſe ei confidentes adempturos. In

altera

altera Clypei Homerici: parte pax florebat pulcherrima ſocietate bello iuncta quaſi nec pax quidem ſine armorum præſidio eſſe poſſet. Vnde memini quendam pinxiſſe manum ſub Clypeo ramũ oliuæ præferentem, vt palàm oſtenderet, eam demum florere ac ſtabilem permanere pacem, quæ Clypeo roboratur. Quòd in Eccleſia Catholica Halcedonia, ſint, quòd omnia pace amæna vigent, quòd omnibus beata tranquillitatis ſerenitas illuceſcat, quòd ab Hæreticis ſecuritas eſt, quòd tumultus non immurmurant, noſtro Clypeo defenſori debemus. Hic Clypeus dirimit lites, ſub eius vmbra nobiliſsimi omnium Philoſophorum & Theologorum vèrnant flores: quidquid in Logicis inuolutum euoluitur, in Phiſicis argutum explicatur, in Ethicis difficile deciditur, in Politicis prudens & ſanum ſtatuitur, quidquid in omni ſcientiarum genere reconditum, mentes ſua obſcuritate torquere deſinit, huic Clypeo debetur. Illi facilè hanc laudis adoream omnia tribuunt ingenia, quòd cum monſtris hæreſeos digladiari non cogantur, ſed nobiliſsima ſua cõmenta fertili partu, & maximâ copiâ in publicam fundant lucem. Ferox ille monſtrorum domitor Hercules, cum magnum canum, circa Apollinis Delphici Templum, obuerſari cerneret numerum, qui non tantùm deuotionem hominum ſuis impediebant latratibus; ſed etiam vias obſidendo in obuios quoſq; morſibus ſæuiebant, eoſq; à Templo procul arcere vellet, clauam ſuam, quâ ad varia monſtra domanda vtebatur, in delubri atrio poſuit. Mirum dictu, tanto perculſi ſunt terrore canes, vt procul ab illo receſſerint loco, nec vltra vllam adeuntibus Templum exhibuerint moleſtiam. Cæleſtis Hercules Deus Præpotens, prænoſcens in Eccleſiam Catholicam infenſos Hæreticorum acuendos dentes, hunc Clypeum in ſua Eccleſia oppoſuit, ne hæreſis ſemper latraret, ne tanquam ferus: Leo de ſyluis, & ſingularis aper depaſceretur eam, ſed cuncti in ipſo pacis complexu quieſcerent, reſq; ſuas pro Eccleſiæ vtilitate agere poſſent. Adhuc Clypeus ille Homericus viuente conſtabat anima. An non & Clypeus

noſter animatus eſt? quo omnes docti animantur. An non animatus? qui veram intelligentiam, veram Sapientiam, quæ mentis noſtræ anima eſt, omnibus mutuatur. An non animatus eſt? à quo inſtruuntur rudes, expoliuntur hebetes, erudiuntur ignari, ſaxeæ prope ſtatuæ præ ſtoliditate, in humanam formam reformantur. An non animatus eſt? in quo velut in compendio omnium Philoſophorũ, omniũ Theologorum doctrina tàm clarè continetur, vt propè ſpirare videatur. An non ad extremum Clypeus noſter animatus eſt? in quem ipſe Paulus, ipſe Auguſtinus, imò ipſe Saluator ſuam animam transfuderat. Iactet ſe vt vult Ariſtoteles ſe fuiſſe Platonis mentem, blandiatur ſibi de tanto Diſcipulo Plato, eumq; veritatis appellet Philoſophum. Noſter Diuus Doctor ipſius Chriſti mens fuit & anima, dum ita eius arcana, Angelis etiam abſcondita penetrauit, vt ipſe Chriſtus, commodata ligneæ effigiei voce, illud de eo protulerit: Benè ſcripſiſti de me Thoma. O pulchrum elogium! ô laudem admirandam! Coronate Romani veſtros Imperatores Clypeis in circuli formam elaboratis, offerte veſtro Martio Viro fortiſsimo, Clypeum argenteum, pondo 138. quòd poſt cæſos in Africâ Scipiones, Rem Romanam in priſtinum repoſuiſſet gradum. Præferte alios Clypeos argenteos decem Quinctio cum victoria redeunti. Sufficit noſtro Diuo Doctori pro omnibus coronis & triũphis, Saluatoris noſtri elogium, ſufficiunt pauca verba, ex quibus Coronam laudis tàm merito contexuit capiti, ſufficit pro mille militaribus acclamationibus Baſilica Diuina vox benè ſcripſiſti. Reliquos Clypei noſtri colores quibus totum Cælum, imò Sanctiſsimam Triadem, in ortu ſuo & noſtris ſedibus occaſu recreauit, ſileo Auditores, & ſub huius Clypei vmbram, veluti ſub teſtudinem Romanam me recipio, ne maiori victus difficultatum pondere cogar ſuccumbere. Niſi quod tibi tandem candidiſsima Religio in gratulabundas exurgere voces æquum eſt; quòd ex tuo armamentario, Devs tàm formidabilem hoſtibus, tàm ſalutarem Eccleſiæ, prompſit Clypeum: veſter quidem Ordo illos

do illos Eccleſiæ milites parturit, qui ſunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi, vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum, vt verbis vtar Solomonicis. Veſtri ſunt Caietani, Bellouacij, Banneſij, Medinæ, Aureoli, Soti, Capreoli, Durandi, Henrici, Soncinates, Flandriæ, Ferrarij, Hugones Victorini, Turrecrematæ, Alberti. Magni, Herreræ; Nauarettæ, Lopæſij, alijq; innumeri; ſed ab huius tamen Clypei fulgore, omnis aliorum gloria, veluti à maiori luce intenditur, augetur, cumulatur. Nimirum ſicut olim à Sagittis Herculis, tota Græci exercitûs ad Troiam fata, totus decennalis belli pependit exitus, nec prius nutans inter partes fortuna, Achiuas acies reſpexit, quàm felices ſagittæ baiulo Philoctete caſtris illatæ, felicitatem Græcis, exitium Troianis attulerunt: ita à Clypeo hoc Thomiſtico, omnis ſecuritas dimanat, & Religioni Orthodoxæ victoria, Hæreſi horrenda venit ſtrages. Applaudimus tantæ felicitati, vouemuſq; diu viuas fortunata, diu pugnes inclyta Religio, & feliciter cum Clypeo tuo vincas. At tu lectiſsima Auditorum, Corona hoc Scutum à me prompta manu cape. Dicebant olim Lacænæ, filijs ſuis ad bella profecturis tradentes ſcuta, aut cum hoc, aut in hoc: id eſt, aut cum hoc pugnando vincas pro Patria, aut in hoc addictam Patriæ animam reddas, & ſupremo virtutis conatu exhibito, glorioſè moriaris. Scutum ego vobis oſtendi, contra ignorantiam & vitium, duos humani generis hoſtes, cum hoc pugnate, in hoc ſpiritum fundere ne recuſate. Si enim non nemini Græcorum militũ obtigit, Scuti ſui beneficio, in prælio nobile caput periculis obiectare ſine vllo ſalutis diſcrimine, poſt cladem verò ſui exercitûs, in eodem ſcuto per horrendos Maris fluctus, gementia littora, & ſpumantes ſcopulos, ad deſideratum peruenire portum; quantò facilius vos, cum hoc Scuto omnes veſtros vincetis hoſtes, & ſecurum vobis iter ad æternitatis portum ſancietis. At ego Sanctiſsime Doctor in fine dictionis meæ, Scutum meum, umbram Orationis meæ, quâ tuis adrepebam fulgoribus, ad pedes tuos in

ſignum ſubiectionis, quod olim in acie deuicti faciebant ad pedes inquam tuos depono. Victus ſum multitudine, magnitudine, laborum te promerito laudandi; ſed tamen maximè mihi gratulabor, & verè me felicem, verè fortunatum putabo, ſi nunquam à Tuo obſequio, ſeruitute, cultu, clientela, fuero abſolutus. In tali enim ſeruitute viuere, hoc demum erit ſecurè viuere, & gloriosè triumphare DIXI.

Ad Maiorem DEI T. O. M. Gloriam, Auguſtiſsimæ Cælorum Reginæ, necnon totius Cæleſtis Curiæ Honorem, Cedat.